


05

A

753



I. N. J.

DISPUTATIONUM ETHICARUM
QUARTA

De

PRINCIPIIS ACTIONUM HUMANARUM

Quam

DEO TER. OPT. TER. MAX. BENEDICENTE

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

Publicæ disquisitioni subjiciunt

PRÆSES.

M. CHRISTIANUS BILEFELD,

Lubec. Facult. Philos. Adjunctus.

&

RESPONDENS

PAULUS Wintler,

Lipsiensis.

In Auditorio Minori

Ad diem 7^r Februarii.

WITTEBERGÆ

ē Chalcographéo JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

ANNO Epochæ Christianæ M DC XLIX.



DEO
PATRIÆ
PARENTI.



OG 4753

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-638103-p0004-3



DISPUTATIO QUARTA.

Thes. I.

Riusquàm ad Specialem Virtutum tractationem accedimus, ipsum Aristotelem secuti, i. 3. Eth. Nicom. c. 1. de Principiis & Circumstantiis Actionum humanarum paucis agemus. Hæc enim Doctrina maximè necessaria est, magnamque lucem affert ad rectè & perfectè virtutem percipiendam. In Spontaneis enim teste Aristot. lib. 3. Ethic. Nicom. c. 1. Laudes & vituperationes; in invitatis venia interdum & Misericordia locum habent; quod & Princeps Latinitatis Cicer. lib. 1. Offic. docet: permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumq; brevis est & ad tempus, an consulto & cogitato quid sit: leviora enim esse, quæ repento aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata inferuntur; Unde & illis hæc doctrina non inutilis est, qui Leges sanciunt ad præmia & poenas instituendas, vid. Aristot. d. t. Non autem facile litem aliqui movemus, num ne ante vel post tractationem Virtutis Generalem de hæc materiâ agere velit, quippe cùm se illa per totam Ethicam diffundat, & quoq; hæc Principia ad causam efficientem ipsius virtutis aliquo modo concurrant; attamen quia demum actiones ex habitu jam provenientes, simul quoq; ex his Principiis perfectè propullulare & his circumstantiis induæ esse debent, igitur ad hunc locum hanc ipsam materiam reservavimus.

II. In Genere autem hîc quædam præmittenda sunt, partim de voce Principii partim de actionis voce. Vox Principii ut alias ex Metaphysicâ notum, variè sumitur. Hîc dicimus esse id, à quo aliquid fit, aut habet utsit, ita ut prioritas & consecutio alterius involvatur. Quando autem omnia hæc vocantur

A 2

Prin-

Principia, non putandum, quod separatim unumquodq; sit adæquatum Principium actionum humanarum, sed inadæquatum, præsuppositis enim aliis quoq; Principiis omnia hæc simul sumpta sunt adæquatum Principium ipsarum actionum humanarum, externarum scil. quæ in sensu incurunt, & καὶ ἔξοχην actiones appellantur in civilibus, quarum ipsæ internæ actiones principia sunt. Per has externas actiones non latissimè quasvis actiones ab homine modo provenientes, etiamsi illæ animatis & inanimatis sint communes, nec strictè illas quæ tantum actus humani dicuntur, & in pueris etiam locum habent, ubi præter imperium voluntatis oboriūtur, sed strictissimè illas intelligimus, quæ ab homine fiunt & quidem deliberata voluntate. Hæc vero Principia, quæ etiam Requisita, Adjuncta ipsarum actionum humanarum vocantur, juxta nonnullos plura, juxta alios pauciora statuuntur, nos communem & medium viam incedentes V. ponimus: *Spontaneum*, *Electionem*, *Consultationem*, *Voluntatem*, *Liberum Arbitrium*; ad quorum perfectam cognitionem licet nonnunquam oppositum, ut *invitum ratione Spontanei*, maximè faciat, attamen illud per se non est Principium, sed potius ejus privatio, & actionem moralem humanam neq; bonam neq; malam constituit, alias enim omnium dictorum Principiorum opposita dari possent, ut *Involuntarium*, non *Liberum &c.* quæ etiam Principia actionum humanarum strictè sic dictarum dicenda essent, quod absurdum.

III. Ipsa autem Principia, licet inter se magnam convenientiam & affinitatem alant, ut unum in altero, & omnia in ipsa electione inclusa videantur, interea tamen differentiam aliquam admittunt, non quidem realem, quæ est inter res & res, sed eam quam ex natura rei Philosophi vocant, per quam ut Commune à minus communi differunt, & talis distinctio hic in Ethicis sufficere debet, cum in ipsis actionibus inde apertum discriminariatur, quod ex collatione quadam tantum Generali inter se patet. *Spontaneum* enim i. non est idem quod *Electio*, quia omnis Electio quidem est Spontanea, attamen non omne spontaneum est *Electio*, quippe id aliquo modo etiam in brutis & pueris invenitur, & locum habet in iis, quæ, de

de improviso fiunt, cum in anima sentiente resideat. hæc ve-
rò non ita; vid. Arist. lib. 3. Eth. ad Nicom. c. 4. 2. Non est idem quod
consultatio, quippe spontaneum est in appetitu, consultatio ve-
rò in intellectu. 3. Nec idem est quod *Voluntas & Liberum Arbitrium*; sufficit enim ut appetitus sensitivus ad exercitium spon-
taneæ actionis concurrat, ut incontinentis agit sponte, non ta-
men ex voluntatis consensu & libero Arbitrio. Sic quoq; *Elec-*
tio non est idem quod consultatio, cum illa sit actus Voluntatis;
hæc verò ipsius intellectus, & hæc illam præcedat: illa verò hanc
sequatur: hæc quasi media præparet; illa verò eadē apprelien-
dat: *Nec verò idem quod Voluntas*, ad quam aliás proximè ac-
cedit, cum omnis Electio quidem sit Volitio, sed non contrà:
Imò Electio tantū nobis possibilia, ad nos spectantia, non su-
bitanea, ad finem pertinentia: Voluntas verò etiam impossibi-
lia, licet cum conditione, si esse possunt, ea quæ nihil ad nos,
subitanea, & ipsum finem respicit. Arist. l. d. *Nec vero idem*
quod Liberum Arbitrium sive Libertas. Omnis enim Libertas
non est Electio, quanquam omnis Electio libera sic. *Consulta-*
tio non est idem quod voluntas & Liberum Arbitrium: Consultatio
actū voluntatis quidē conjunctum habet, & sic etiam liberta-
tem, sed non contra, cum quædam velimus ut Finem, & liberè
agamus; de quibus tamen non consultamus: quid? quod Con-
sultatio ad intellectum: Voluntas verò & Liberum Arbitrium
ad Potentiam appetitivam referenda sint. *Voluntas non est idem*
quod liberum Arbitrium, quippe quod omne liberum quidem sit
voluntarium; attamen non omne voluntarium statim est libe-
rum, sed potest esse necessarium, ut bonum Commune. Sed
hæc ex speciali horum Principiorum tractatione manifestiora
erunt.

IV. In Specie jam ipsa Principia proposituri ipsius Aristote-
telis vestigiis ulterius insistemus, qui antequam de Spontaneo
agat, *ipsius Inviti quidditatem explicat*, non quasi ipsum Invitum
quoq; esset actionum humanarum, de quibus in Ethicis a-
gitur, Principium, sed quia Inviti explicatio deducit nos quoq;
in meliorem ipsius Spontanei cognitionem. Est autem Invitum
ipso docente Arist. lib. 3. Eth. Nicom. c. 1. quod vi aut ignoran-
tia fit.

tia fit. Unde duplex Invitum oritur. Alterum quod visus, & dicitur violentum, alterum quod ignorantia fit, & dicitur Invitum per ignorantiam. Violentum aliud est απλως tale, aliud καζαν. Illud est cuius Principium est extrinsecus (εξωθεν) ita ut nihil ad id conferat is qui agit, aut patitur. Ad quod recte percipiendum necesse est, ut omnia verba diligenter perpendantur, quæ necessaria requisita ipsius violenti απλως dicti includant. 1. *Principium hinc sit extrinsecum*, quod non tantum intelligendum est ratione totius Subjecti quod agit vel patitur ut si Ventus (quibus exemplis utitur Aristot. lib. 3. Eth ad Nicom. c. i.) vel homines rerum potiti, quibus quod libet, licet, aliquem alio impellunt. V.G. Tres naves Eneæ vi ventorum scopulis allisæ. Virg. lib. i. Aeneid. & Judæi ab Antiocho coacti & ad sacrificium Bacchi pertracti hederaceas coronas gesserunt lib. 2. Maccab. c. 6. v. 12. Verum etiam in nonnullis ratione ipsius appetitus, ita ut omne illud hinc habeatur pro principio extrinseco, quod est contra motum appetitus, ut explicat Vasquetz in 1. 2. disp. 25. Hac enim ratione & is dicitur invitus lædere hominem, qui ex superiori loco se dimittens decidit, & dum decidit, videt hominem astantem, ubi sane hoc per invitum ex ignorantia factum dici nequit, si quidem hominem vidit: igitur per violentiam; sed hinc principium non est ratione Subjecti extrinsecum, verum intrinsecum nempe ipsa gravitas, quæ tamen ratione ipsius appetitus Principium extrinsecum die potest. 2. *Sese habeat per modum Efficientis non per modum Objecti*, hinc ab ipso Arist. causa lib. 1. MM. cap. 15. vocatur: alias enim oculus ad videndum cogeretur propter suum Objectum, colorem scil. undiq; circumfusum, & appetitus ad appetendum propositum bonum. Imò omnes nostræ actiones summâ animi lætitia à nobis propter finem aliquem suscepimus, per vim fierent, quod abs non. 3. *Illud principium extrinsecum sit sufficiens & satis validum ad hanc ipsam aut illam actionem vel passionem producendam*, licet alias in se non sit validius quam agens. Ut si quis alterum alias robustum à tergo invadit, & ad hoc vel illud protrudit. 4. *Agens vel patiens nihil conferat ad illam actionem vel passionem*, non tantum negative, verum etiam contrariè illi resistendo. Non quidem semper;

quoad

quoad membra externa, ut videtur *Golio lib.3. Eth. c.1.* Siquidem exteriōres facultates & actus imperati, ut locomotiva ab extēno Principio impelli possunt, ut actionem violentam suo adjuvamento promoveant: manum enim meam alteraliqua vi arriperre potest, & vel meipsum vel alium eā pulsare, ubi ipsa manus hanc actionem promovet, sed quo ad motum ipsius appetitus, ut nec agens illam actionem nec patiens illam passionem appetat.

V. *Hoc violentum scil. secundum quid, est quod partim ex Principio extrinseco scil. metu majoris mali evitandi, vel spe majoris boni consequendi, vel alia necessitate, partim ex Principio interno, nempe ipso motu appetitus oritur, unde mixtum & actiones inde ortae mixtae vocantur;* Ut cum Nautae suborta tempestate bona sua in mare abjiciunt ad suam suorumq; vitam liberandam. Si tamen has mixtas actiones recte perpendimus non quidem simpliciter absq; circumstantiis, sic enim magis invitae sunt, sed respectu finis & circumstantiarum, præfertim temporis quo sunt, utiq; cum *Aristot.lib.3. Ethic.c.1.* eas magis ad spontaneas quam invitas referendas esse censemus. *quia earum Principium est in agente.* Ipse enim Nauta ad projiciendas merces & bona sua, ex interno Principio manus adhibet, & alios quoq; ad idem faciendum instigat, & hoc melius ex eo patet, quod *2. Elecio in illis detur:* potest enim Nauta suas merces retinere, si periculum vitae subire vult: & rejicere, si à periculo immunis esse cupiat. Siquidem tūm eligit minus malum, quod habet speciem boni, secundum commune dictum: *Ex duobus malis eligendum est id quod minimum:* quod tamen non ita absolute intelligendum tam de malis Fortunæ, seu corporis bonis impendentibus, quæ mala triaria ab Autoribus appellantur, quam de malis ad animum spectantibus que turpia dici solent. De prioribus enim facile concedimus illud, sed nō de posterioribus, quæ adhuc sunt in fieri, quicquid etiam contrarium amplectentes ex jure Canon. distinct. 13. afferant. *Vid. Reinking. de Regim. secul. & Eccles. lib.2.clas.3. c.3. n.70.* Verbis enim Juris Canonici opponit verba sua canonica Apostolus. *Rom.3.v.8: non sunt facienda mala ut inde eveniant bo-*

na: 86

na. & ratio est, quia illa turpia intrinsecè ex se & sua natura mala sunt, proinde non possunt inter se comparari ratione bonitatis, quia nullum horum malorum positivè ejus particeps fit, unde propriè bonum dici possit quod ostendit Arist. l. 4. Pol. c. 2. de corruptis Rebus publ. Propterea Arist. l. 3. Eth. Nic. c. 1. per *ajgēv* non vitia intelligit, sed tantum molestem, indecorum, turpe respectu corporis & Personæ; quippe nonnunquam ob tale *ajgēv* laudamur, cum tamen ob vitium laudari non possumus attende etiam in subseq. quartum membrum in quo nulla venia locum habet confer l. 2. c. 6. & vide Eustat. Acciaj. Et c. 3. quia Aristoteles mixtis actionibus & laudem & vituperium adscribit, jam laude & vituperio nullum factum dignum est nisi sit spontaneum. Licet E. nonnunquam has actiones pœnitentia sublequatur ut exinde invitæ videantur; attamen quia illæ actiones ex eo tempore, quo factæ & estimandæ sunt, utiq; pœnitentia, quæ eas subsequitur, earum naturam immutare non potest. Quadruplices verò actiones mixtas facit Aristoteles 1. *laude dignas*, ubi quis propter majus bonum consequendum vel malum fugiendum actionem aut molestam aut minus decoram subicit. Sunt autem majora bona, Deus ejusq; Cultus, Patria, Parentes, Liberi, Justitia &c. Ejus exemplum habemus ap. Liv. lib. 2. Decad. 1. & Valer. Max. lib. 7. c. 3. in C. Mutio postea Scævola dicto, qui cum Scribam Regis, quem ipsum Regem putabat, interfecisset, dexteram foculo ad sacrificium accenso ut loquitur Livius, ipso præsente Rege Porsena injicit, igniq; devorandam tradidit, quo facto illum à Romæ Patriæ suæ obsidione avocavit. Sic M. Attilius Regulus, ut benè de Patria promeritus dici posset, gravissimos cruciatus apud Pœnos pertulit. Cic. lib. 1. Offic. Sic Spurina faciem deformavit ad libidinem puellarum extingvendam. Herod. in Thalia, Hujus in Solone, vide Plutarch. in Solone qui insaniam simulans & instar mente capti nudus in publicum prodiit, versusq; recitavit, ad tollendam Legem de bello contra Megarenenses non renovando. 2. *Vituperio* nempe eorum actiones, qui vel pro magnis & honestissimis rebus & molesta & indecora sustinere ceculant; vel ea sustinent pro levi bus & indignis causis, sicut eum locum nonnulli interpretes ita expo-

exponunt, ut milites stationem suam deserentes vel munitissimas arcas non coacti in ditionem hostium dedentes; vel Vespasianus Imperator ob turpe lucrum ex sordida re lotio scil. tributum exigens 3. Venia, in quibus aliquid indecorum committitur propter ea quæ humanam naturâ excedunt & à nullo sustinerentur. Ut sunt immensi cruciatus & intolerabiles dolores & alias exempli gratia: Servus, qui tormentorū gravitate adactus Domini sui consilia prodit. Huc referunt etiâ exemplū Davidis. 1. Sam. 21, 13. 4. Nulla excusatione, quando quis ea agit, ad quæ nemo cogi aut cōpelli potest, sed potius extrema quæq; pati debet, sic qui etiâ ex levissima causa Religionē veram abnegat, ut Porphyrius Philosophus, qui à Christiano hospitio pugnæ exceptus Christianismum renunciavit, vel ex metu mortis corporalis, exilii, aut alterius rei, peccatum committit, ut Alcmæon Amphiaraï Vatis Filius ex metu execrationis paternæ, cui ipsum devovere vellet, nisi mortem suam ulcisceretur, occidit matrem suam, quæ ipsum Amphiaraum maritum suum in Thebarum occupatione sibi mortem prævidentem, ideoq; clām alicubi latitantem, munere torquis aureæ allecta prodiderat. Ex his jam ulterius colligitur, quod si illæ actiones mixtæ ad spontaneas referendæ sint, illæ in totum sunt spontaneæ quæ ex voluptate nimia, & affectibus perpetrantur. Gol. 1. 3. c. 1. & præsertim Aristotel. 1. 3. Etb. Nic. c. 1.

VII. Invitum per ignorantiam. Dupliciter hoc invitum sumi potest, vel perfectè vel imperfectè, ad hoc referendus est, qui ab Arist. vocatur $\delta\chi'$ $\epsilon\nu\omega\nu$ non sponte agens, & Thomas ejus Prinzipium dicit ignorantiam ipsam voluntatem concomitantem de quo postea dicetur. Illud est, quod ob ignorantiam fit, ita tamen ut eum qui fecit, illius postea pœnitiat. Præcipue E. duo consideranda veniunt. 1. Prinzipium ipsius actionis invitæ, quod dicitur ignorantia. 2. Indicium ejusdem quod est dolor subsequens. Ad 1. notandum quod ignorantia dicatur Prinzipium invitatiæ actionum non per se, sed per accidens, in quantu illa est privatio ipsius scientiæ, quæ hoc vel illud factum impedire potuisse. Unde Arist. lib. 2. Phys. c. 3. eadem est contrariorum causa, quod enim præsens est causa hujus effectus, hoc absens interdum dicimus causam esse contrarii effectus. Ignorantia vero non est

idem quod simplex nescientia, ut loquuntur Scholastici: illa enim homo nescire dicitur, quæ homo planè scire non potest; Ignorare quæ scire potest. Non autem ignorantiam hīc intelligimus absq; usu rationis, qualis in furiosis, melancholicis, & dormientibus invenitur, qui quid agunt, ignorant: illæ enim actiones propriæ humanæ dici nequeunt. Dein quō eò melius cognoscere possimus, quænam ignorantia sit Principium invitarum actionum, variæ ejus differentiæ & distinctiones evolendæ sunt. Ipse Arist.lib.1. Analyt.post.c.16. Aliam facit ignorantiam puræ privationis, quando absq; judicio intellectus aliquid ignoratur, & sic nullam rei cognitionem habemus, ut si quis absq; animo aliquid petendi, casu hominem globulo transmittit. præ dispossessionis, quæ rem illud esse judicat, quod revera non est, ut Lacon quis, Crœsi Lydorum Regis Filium pro apro in venatione interfecit. Herod.lib.2. Alii ignorantiam vel vincibilem dicunt, cum ea ignoramus quæ scire poteramus & tenebamur; quo referri potest ignorantia supina & crassâ, quando quis non quidem deliberato animo, sed ex negligentia aliquid ignorat: & quæ ex malo affectu & habitu orta: ut & affectata, ubi illa ignorari simulantur, quæ nobis nota sunt, ut postea dicemus. Vel invincibilem, quando eorum ignorantia animos occupat, quæ scire non poteramus, adhibitâ debita diligentia ad inquirendam talem notitiam, vel per nostram prudentiam, vel per aliorum, quos consulere poteramus. Et hæc est invincibilis vel in se tantum, vel quoq; in sua causa, ex quâ illa ignorantia oritur. Hæc revera invincibilis est, illa ad vincibilem referenda, ut qui ex Ebrietate peccat, ille nonnunquam nescit, quid facit, & sic ignorantia illa est invincibilis in se, non verò in suâ causâ, quippe poterat non ineptiari Arist.l.1.M.M. c.4. Illa causa iterum oritur vel ex spontaneo Princípio vel casu, vel ex aliqua coactione, ut si quis vel sponte secundum suam consuetudinem, vel ex unia cohaustu præter opinionem, vel ab aliis coactus metuens aliorum verbera ineptiatur.

VIII. Aristoteles in hoc lib.3.Eth.Nicom.c.2. distinguit. i. inter ignorantiam quam sequitur pœnitentia, & quam non sequitur pœnitentia. Priori modo qui per ignorantiam agit, pro-

propriè invitus egisse dicitur, non autem posterior: neque ta-
men hic spontè agere etiam dici potest, quippe ignorat illud
quod agit, in spontaneo autem debet appetitus ferri in id quod
notum est. Proinde dicit Aristoteles, talis qui quo ad rem dif-
fert, etiam nomine differre debet, ideo appellatur $\sigma\chi' \epsilon\nu\omega\nu$ non
spontè agens & sic inter spontaneum & invitum medium ponit,
scil. non spontaneum; ut is qui ex improviso novercam emis-
so telo lædens dixit, Euge; & hoc non malè. Hinc patet illa
distinctio inter Velle, Nolle & non Velle, quæ etiam à Theo-
logis adhibetur, & ipsi rationi rectæ non contrariatur. II. In-
ter eum qui ignorans agit, & qui per ignorantiam. Ibi enim a-
gens sibi ejus præsentis actus ignorantiam per aliquam gravem
perturbationem induxit, ut iratus & ebrius &c. aliquando igno-
rat id quod agit, sed non per ignorantiam, verùm per nimiam
iracundiam & ebrietatem, per quam sibi ignorantiam illam ac-
cessivit, & sic pravi omnes agunt propter suam pravitatem ne-
scientes quæ verè jucunda & utilia, quæ verè tristia & damnosa
sint. Hic verò ipsa ignorantia princeps causa est totius actio-
nis, ità ut nisi illa ignorantia accessisset, nunquam hæc actio pro-
ducta fuisset. Hæc jam quæ ex Aristotele adduximus, ipse
Thomas 1.2.q.6.art.8. ita dispescit, ut triplicem faciat ignorantiam,
quæ ad pauciora membra reductio cùm memoriæ grata sit,
hīc non negligenda. 1. Ignorantia est concomitans voluntatem,
cùm quis id facit ignorans, quod sciens maximè volebat facere,
ut E. G. occidens hostem suum per ignorantiam, quem tamen
alias occidere volebat. 2. Ignorantia est consequens voluntatem;
Ubi ipsa voluntas causa est illius ignorantiae, talis oritur vel ex
deliberato consilio, quando nolumus ea scire, quæ tamen scimus,
& hæc est affectata ignorantia: vel ex incogitantiâ, dum ea igno-
ramus quæ scire oportebat; estq; iterum aut ex summa negli-
giā, quando planè ignorat rem illam, cuius sibi notitiam acqui-
rere & poterat & debebat & dicitur supina & crassa,
aut ex affectu aliquo nimio vel habitu malo sibi voluntariè con-
tracto quo hoc ipso tempore, quæ recta & debita, judicare non
potest. 3. Ignorantia ipsam voluntatem antecedens, quæ facit ut
hoc vel illud velimus, quod alias nunquam expetiissemus, &

hæc est propriè invincibilis ignorantia. III. Inter ignorantiam universalium, quando vel quis theoreticè nescit, quid turpe vel honestum sit; vel practicè an hoc ipsum quod agit tale sit, an Circumstantiæ communes diligenter in actionibus nostris attendenda. Et particularium, quando speciales circumstantiæ alicujus facti (quæ postea explicabuntur in Doctrina de Spontaneo) ignorantur, ut si quis interficiendo in bello filium putet se hostem occidisse. Juris Ctorum distinctio inter ignorantiam Juris & Facti quamvis strictius sumatur in ff. tit. De ignorantia juris & facti, interea tamen commodè ab Authoribus applicatur, ut cum priori coincidat. Et sic ignorantia juris respicit non quidem hīc jus divinum, de quo Philosophia moralis non agit, sed I. Jus Naturæ; per quod non conclusiones ex eo deductas, & nonnunquam longissimè ab eo abeentes; sed præcepta ejus communissima nude, absque singularibus circumstantiis spectata intelligimus. 2. Jus humanum, quod vel non est promulgatum, vel non promulgatum, aut nondum omnibus innotescere potuit, aut communiter receptum non est; vel 2. plani & manifesti sensus vel obscuri & intricati. Ad II. observandum, quod dolor & pœnitentia vera & non simulata esse debet, proveniens propter ipsum factum, non ob facti pœnam: cognoscitur autem hæc ex assumto Principio, ita ut Principium ostendar, quinam verus dolor; & contraria verus dolor indicet, quodnam verum Principium actionum invitatum, ut sic utrumque & Principium & signum assumendum sit.

IX. His ita explicatis jam applicationem faciemus ad propositum nostrum, quod evidentius pateat, quænam fint actiones invitæ. 1. Dicimus in genere, ignorantia invincibilis (quæ, ut ex superioribus patet, includit ignorantiam ex malo affectu, ex malo habitu, crassam & supinam, ut & affectatam) non reddit actionem invitam, licet etiam subsequatur dolor. 2. Ignorantia invincibilis, scil. in se & in sua causa, ut ante descripta est, invitam facit actionem, quando dolor & Pœnitentia facti oriuntur. In Specie. I. Ignorantia puræ privationis & pravæ dispositionis, si est invincibilis, est Principium invitatum actionum. II. Ignorans qui dicitur agere, non invitè agit, sed qui per ignorantiam

rantiam. III. Ex mente Thomæ. 1. Ignorantia concomitans voluntatem, quæ etiam locum habet in non sponte agente ex mente Aristotelis, non reddit propriè actionem invitam, excusat tamen quoad actum illum exteriorein, si eundem fortuitum esse sufficienter probare potest, licet quo ad animum occidendi, quem habuit, & dum jam illud, quod ignoranter peregit, tacitè approbat, à peccato immunis non sit. 2. Ignorantia voluntatem consequens non reddit actionem invitam, quippe licet sit actio illa in se invincibilis, est tamen, & manet ratione causæ vincibilis: potuisset enim aliquis neque affectibus indulgere, neque ipsum habitum malum contrahere, & sic talem ignorantiam sibi non accersere. 3. Ignorantia voluntatem antecedens, quia est revera in se & sua causa invincibilis, reddit actionem invitam. IV. Non excusat 1. Ignorantia Juris Naturæ absolutè sumptu. Hujus enim notitia quia Naturâ insita, non potest facile in animo deleri, ut nunquam per totum vitæ tempus ipsa ratio cogitat, quid honestum vel dishonestum sit, aut si non cogitat, utique illud ipsius hominis pravitati & amoris liberius peccandi adscribendum, ut dic t. Arist. l. 2. Eth. c. 2. Et l. 6. c. 5. 2. Nec Ignorantia Juris humani sc. promulgati, omnibus noti, recepti, & manifesti sensus: licet contra Legum positivarum & nondum promulgatarum vel notarum, nec receptarum, aut obscuri sensus, si debita diligentia ad eum investigandum adhibita fuerit, ignorantia vel maximè excusat. V. Excusat sub sequente penitentia ignorantia particularium seu facti, modò non sit invincibilis, supina & crassa, ut scire potuerit tali scientiâ, quæ media est inter curiosissimam & negligentissimam hominis scientiam.

X. Ex his jam colligendum non est, ac si I. Omnes actiones, quæ pro principio habent ignorantiam invincibilem aut invincibilem tantum in se & non simul in sua causâ sint in eodem gradu habendæ etiam quo ad gravitatem delicti: siquidem licet illæ propriè invitæ non sint, & simpliciter excusent, attamen in unâ magis quam alterâ solet ipsum delictu levius reddi: ut ignorantia, quæ ex affectu, ebrietate præterspem, incogititia & inadvertentia, oritur imminuit delictum, non verò ita ignorantia affectata, ex supina negligentia, ebrietate sponte acquisita, vel

ex habitu malo contracta. Sic ignorantia, quæ ex ebrietate & supina negligentia, quam quæ est affectata: quanquam ignorantia ex ebrietate eum in finem inducta ut liberius malum peragi possit, ad affectatam etiam pertineat (ubi enim Electio magis locum habet, ibi etiam delictum gravius sit) item quæ ex ira quam quæ ex ebrietate, ut dicit Arist. lib. 7. Ethic. c. 7. unde patet, Legem Pittaci, de qua Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 6. ebrios duplii poena afficiendos mandantem, non tam respicere justam semper poenæ quantitatem ac si nunquam Ebrietati venia danda, quam Republicæ suæ salutem, ut eò citius cives ab ingurgitatione vini, quo ille locus abundabat lib. 2. Polit. cap. ultimo, abstinerent. Nec II. quasi omnis actio invita statim in totum sit invita: fieri enim potest, ut in re per se illicia, quam sponte suscepit, quis ignoranter & invitè agat, propter singulares circumstantias illi illicitæ rei adhærentes, ita tamen ut tota ipsa actio non sit invita, ut patet ex exemplo Oedipi, qui Lajum Parentem, cui occurrens de via non cesserat, sceptro ipsum ob id percutientem, ignorans interfecit ut & Judæ Gen. 48.

XI. Quid jam spontaneum sit, licet satis appareat ex contrario, nempe invito, paucis tamen etiam explicandum erit. Scholastici, ut Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 2. spontaneum vocant voluntarium secundum rationem imperfectā, quia nempe est absq; cognitione ipsius rationis, per & propter quam finis est finis; verum abusivè. Describit autem Aristot. lib. 3. Ethic. c. 3. Spontaneum, cuius Principium est in agente scientie singula, in quibus actio consistit. Ubi Spontaneum ipsius inviti oppositum, ut ipsum invitum duo includit. 1. Principium internum, nempe ipsum motum appetitus sensitivi, sive impulsu animi, quo in rem aliquam tendimus eam vel ut gratam & nobis salutarem appetendo, vel ut ingratam & noxiā fugiendo: & hæc inclinatio dicitur natūrā ēxoxiū Principium internum, non quasi ipsa scientia etiam ipsi homini non insit, sed quia illa absque inclinazione hæc non est Principium actionum humanarum; ac proin hæc Principium internum immediate, illa mediately. Hoc Principium internum seu inclinatio & ad agendum, & ad patientium se habet, licet non eodem modo, sed ad prius ut activum,

ad



ad posterius ut passivum Principium. 2. Scientiam, quæ quam
maximè actionum humanarum Principium est, recteq; consci-
entia vocatur ab Authoribus, & est ipsius intellectus Judicium,
de eo quod bonum vel malum est in vita, sive agendum, ut su-
mitur hoc in loco, sive jam actum, ut alias consideratur, vide
disput. 2. Hæc verò Scientia, Conscientia, vel Intellectus Practici
Judicium, non tantum versatur circa bonum vel malum in ge-
nere, sed & circa hoc bonum vel malum his circumstantiis in-
volutum, unde additur ab Arist. quod enarrat scire debeat.
Singula autem hæc nihil aliud Aristoteli sunt, quam circum-
stantiæ, quia hæc singularem & individuam quasi actionis mo-
ralis rationem constituunt: has circumstantias enumerat Phi-
losophus præced. *Cap. 2. 3. Ethic.* & sunt: Quis, nempe ipse a-
gens: Quid, id quod agitur: Circa quid, objectum, vel id, in
quod agens agit: In quo, & loco & tempore. Quo videlicet in-
strumento, cujus causâ vel propter quem finem, & quo modo, ubi
ipse Aristoteles l. c. exempla addit, quarum circumstantiarum
evolutionem ulteriore in aliud tempus differimus, cùm Scho-
lastici & alii hīc inter se dissentiant, qui cōtra Thomam l. 2. q. 7.
art. 1. Richardum lib. 4. dist. 17. num. 3. q. 3. & alios, affirmant illas a-
ctionibus moralibus esse essentiales, ut patet ex ipsis verbis Ari-
stot. l. c. qui aliquid ex his ignoraverit, invitus egisse videtur. Hæc
Scientia vel Conscientia est potissimum actus ipsius intellectus ostendens
quid faciendum, quid fugiendum sit, præsupposita potentia na-
turali, ut radice, ut & Principiorum habitu, quo mediante ipse
intellectus judicat. Est autem vel propriè dicta vel impropriè.
Propriè dicta est triplex: recta, erronea & probabilis. Prius-
quam autem specialiter hæc tractamus, officium conscientiæ in
genere notamus, quod respectu hujus tractationis duplex est.
1. quoad agendum, & sumitur vel strictè, idemq; est quod jubere &
obligare, ut Fides data est servanda, vel late & idem quod sua-
dere, dum non quidem judicathoc vel illud actu necessarium,
meliùs tamen esse si fiat, quam si non fiat. 2. quoad omissendum,
& iterum vel strictè accipitur pro prohibere & retrahere ab eo
quod necessariò fugiendum, ut pauperibus tempore necessitatis
denegare opem, vel late, pro disuadere, quia melius est hoc o-
mit-

mittere quām agere : ut finitis concionibus Comœdias non spectare. Recta Conscientia est rectum Judicij Practici dictamen, quid omnino consideratis omnibus Circumstantiis faciendum vel omittendum sit. In hac verò consideranda. 1. *Ratio Subjetorum* vel *Personarum*, quæ in dupli sunt differentia. Quædam enim sunt sui Juris, quædam verò non sed dependent ab alterius imperio vel Legis, vel Magistratus: & hæ iterum sunt tales, ut vel iis ipsum judicium & inquisitio causæ demandata sit, vel tantum Judicij executio. 2. *Objectorum vel rerum*. Res quædam in se habent errorem tolerabilem, quædam intolerabilem, ut distinguit Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 6. ad 3. & vocat intolerabilem errorem, ubi manifesta est injustitia. Jam applicamus & dicimus quod Conscientia recta præcipit, illud ei, qui sui Juris est, omnino faciendum: qui autem non sui juris, is non debet contra illam agere, scil. Pauperibus, quibus succurrentum dicit Conscientia, obesse: quod autem suadet, illud temerè non est omittendum ei qui sui Juris est. Quod vetat, is qui sui Juris est, non debet facere, qui verò alterius Juris, ita tamen, ut ipsi judicium commissum & res peragenda intolerabilem includit errorem, utique non debet mandatum Legis vel superioris alicujus exequi. Act. 5, 29. Si verò is non sit Judex, sed tantum rei jam ab alio decisæ, executor, & res illa tolerabilem errorem adjunctum habeat, utique quando superior ipsum ab exequendi onere absolvere non vult, rem licet injustam, exequi potest.

XII. Erronea est Erroneum Judicij intellectus Practici dictamen, de eo quod faciendum vel omittendum: ut si falsa pro veris ad agendum assumantur. Error autem hic 1. vel est vincibilis vel invincibilis, cùm in se tūm in sua causa, ut thes. 7. dictum. Vid. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 5. 2. vel de re per se mala, ut esse fornicandum, vel indifferenti, ut bello interesse homini Christiano est indifferens res, aut festucam levare de terra, quo exemplo Thomas utitur: Qui jam agit secundum Conscientiam erroneam ex errore vincibili ortam in re per se mala; vel contra eandem, is peccat, unde talem deponere studeat, quicquid etiam illi statuant, quos glossa in can. omnes 28. q. 1.

addu-

adducit quia quoad primum, potest illum errorem, & non vult, deponere, & sic non Conscientiae obediendo, sed ejus emanationem negl gendo peccat. Quoad secundum, dum illud agit quod putat esse contra Legem, licet non sit, & sic vult contra eam agere eamque contemnere. Quando verò erronea Conscientia est ex errore invincibili & quidem in sua causa, utique tunc peccat, non quando secundum sed contra eam agit: & eadem ratio est in re differenti, qui in eâ contra Conscientiam agit, ille peccat. Vide Thom. 1 2. q. 19. art. 5. & 6.

XIII. Conscientia probabilis est probabile Judicij intellectus Practici dictamen ad faciendum hoc vel omittendum. Probabiliter autem dicitur Conscientia, quando veritate Objecti non sufficienter permoti uni contradictionis parti assensum nostrum præbemus ob certas & probabiles rationes, ita, ut partem oppositam veram esse simpliciter non negemus: Permittunt verò Autores hic quædam ad uberiorem cognitionem. Vide Azorium lib. 2. Institut. Moral. cap. 16. & 17. 1. dicunt: inter probabiles opiniones unam altera esse tutiorem, in qua scil. non ita facile peccatur; alteram verò probabiliorem, quæ firmioribus nititur rationibus. 2. Probabilitas oritur vel ex principiis internis ex ipsa rei Natura petitis, vel externis nempe Autoritate Doctorum. 3. vel Doctor habet opinionem vel indoctus. 4. vel est sui Juris vel alteri subjectus. Qui agit secundum conscientiam probabilem, non peccat; qui verò contra illam, peccat: qui tutiorem partem assumit, nec ille peccat: qui ex diligent utriusque partis rationum consideratione & collatione probabilem sententiam ut veram assumit (non tamen temerè ut aliorum sententiam tantum rejiciat) ille non peccat, licet alii eam Sententiam rejecerint. Interea tamen etiam ob Authoritatem Doctorum ex probabilibus rationibus differentium communem Sententiam assumere potest, licet suam probabiliorumputet, modò non judicet, id sibi non esse licitū facere, ut dicit Azorius l.d. & hoc vel maximè de docto intelligendū Indoctus verò maximè sibi probabilem, & quam probi & periti viri propounderunt, assumit opinionem etsi minus tutam: sic quoq; qui alteri

C

subje-

subjectus est, is contra propriam opinionem illud debet amplecti, quod superior, non ob illam superioritatem simpliciter, sed quia idem aliorum Doctorum calculo comprobatum videt, & superiore vel doctum & probum, vel Doctorum consilio uti novit. Impropriè dicta Conscientia est duplex vel dubia, quando intellectus Practicus non potest judicare, quam contradictionis partem assumere debeat; qui autem dubitante Conscientia agit, is peccat, licet illud quod agit, in se bonum sit, siquidem, periculo peccandi se exponit, immo dum agit malum & peccatum appetit, quia an bonum an verò malum esset, dubitabat, ac proin illud malum esse posse conce-debat quod jam agit, vel scrupulosa dum intellectus Practici judicium aliquid licitum dicitur verum cum scrupulo qui illam Conscientiam urget, hic si est rationalis ex probabili ratio-ne proveniens, attendendus omnino, licet is simpliciter ipsum non obliget; si irrationalis, utique spernendus & ex animo ejiciendus est.

XIV. Secundum Principium est Electio ἀρετῆς, ex qua vel maximè vir bonus, & actiones bonae estimari possunt, quippe & vir malus se bonum simulare & suas actiones ut bonas venditare potest, unde Aristoteles. *Virtutes*, inquit, aut sunt electio-nes quædam, aut non sine Electione existunt. libr. 2. Ethic. Nicom. cap. 4. & libr. 3. cap. 4. Electio Virtuti maximè est affinis, & magis quam actiones ipsos mores judicat. Gipbanus quidem in Com-men-tar. super hunc locum, vocem ἀρετῆς vocat agendi Consilium. Piccolom. gradu 2. cap. 26. dicit Electionem esse ge-neraliorem ipsa præelectione, & hanc in Ethicis locum habere: verum cum præter necessitatem vocabula recepta non sint vel rejicienda, vel multiplicanda, ideo electionis vocem retinemus, non abusivè pro instinctu & sagacitate naturali brutis etiam competente, nec imperfectè pro Electione in pue-ros cadente, quippe haec acceptio non ad Ethicam spectat, sed propriè & perfectè sumtam, in quantum collatio unius medii cum alio, & medii cum fine à subiecto indeterminato ad unum, (quod absque Consultatione fieri nequit) & qui-dem

dem ex habitu instituitur & eligitur unum pro alio, & sic Elec-
tio & Præelectio unum & idem. Hinc ex Aristotel. cap. 4.
& 5. libr. 3. Ethic. Nicom. & libr. 1. M. M. cap. 18. talem extruere
possimus ipsius Electionis descriptionem: Electio est ex Con-
sultatione proveniens (seu meditata, vel ut Burlæus & alii: est
actus voluntarius præconfiliatus) appetitio eorum quæ in nostra
sunt potestate, & à nobis fieri possunt. Ubi appetitio quæ loco ge-
neris stat, ex Aristotele, non quidem ejus cap. 4. libr. 3. Nicom.
sed cap. 5. colligitur in fine & lib. 6. cap. 2. & per eam intelligi-
mus non ipsam facultatem appetendi rationalem, quæ instru-
cti sumus & ad velle & nolle, sed ipsius facultatis actum secun-
dum & elicitum, ipsam appetentiam scilicet rei sub ratione
boni, vel revera vel apparentis conceptæ: atque sic opponitur
alteri actui in ipsa facultate appetendi contento, nempe actui
fugæ. Ex quo porrò 1. sequitur ipsam electionem esse actum
non ipsius intellectus sed voluntatis, (cùm sit appetitio quæ
non intellectum sed voluntatem respicit) à qua tanquam Sub-
jecto Quo oritur, & per eam essentialiter in esse proprio &
completivo constituitur. Licet enim intellectus antece-
denter & dispositivè omnem electionem præcedat, qui actus
ipsius Intellectus aliás vocari solet Inquisitio Consiliativa, quo
etiam verba Aristotel. referenda sunt libr. 6. Ethic. Nicom. cap. 2.
quando electionem dicit vel appetitivum intellectum, vel in-
tellectivum appetitum: interea tamen ille actus intellectus
non sufficit, sed ad electionem requiritur, ut voluntas illud
præconfiliatum ipso actu appetat, & illa ita electionem præ-
cisè spectatam perficiat, quæ proin. 2. rectè quoque actus li-
ber & quo ad exercitium dicitur, & quo ad specificationem etiam
in iis mediis quæ partim æquè ad finem consequendum con-
ducibilia, & neutrum præ alio magis voluntatem movet, ubi
voluntas liberè interea id quod vult eligere potest: partim ubi
unum altero est conducibilius, ibi quoque nisi sibi ipsi impo-
suit anteà necessitatem homo, se velle per medium conducibi-
lius tali tempore, tali perfectione agere, id quod minus con-
ducibile est, ab homine eligi potest: partim quando unum ad-

est medium, quo finis obtinetur potest, ibi ex necessitate sed hypothetica tantum illud medium assumitur, præsupposito scilicet hoc fine, cuius finis intentio quia libera est, & quoad exercitium quoque tolli potest, igitur etiam illius medii electio, quam libertatem ipsa necessitas hypothetica minimè tollit.

Versatur autem Electio. 1. circa res hominibus possibles, vel in se vel ita conceptas; quia eligere est rem velle agere, voluntate scilicet simplici, efficaci & completâ, non autem complacentiæ eum conditione & incompleta; Unde Aristot. qui impossibilita dicit se eligere, stolidus est. hbr. 3. Ethic. Nicom. cap. 4.

2. Nobis possibles, quia velle possumus ea quæ à nobis agi nequeunt, ut histriōnem aut athletam victorem evadere; sed ea tantum eligimus, quæ nos facere possumus. Aristotel. dict. loc.

3. Rationem medijs continentis, sicut etiam fines intermedii: ut eligimus ea, quibus sani esse possumus.

XV. Tertium Consultatio Εἰδωλοῖς, quæ non idem prorsus est, ut nonnulli putant, quod investigatio vel inquisitio, siquidem differunt ut latius & angustius. Aristot. libr. 3. cap. 5. Ethic. Nicom. & libr. 6. cap. 10. Hinc licet in Scientiis detur investigatio Conclusionis per media, non tamen ibi datur Consultatio, multò minus Consultatio brutis attribuenda. Specialiter ergo dicta Consultatio, quæ hujus loci, à nobis ita describitur, quod sit diligens inquisitio ipsorum mediorum ad finem propositum necessariorum. Hæc autem dupli modo fieri potest, vel simplicer, quando consultamus de iis quæ ad nos pertinent; vel exercitii gratiâ, quando de alienis consultamus, ut exinde nostra recte postea tractare discamus; vel ex hypothesi: si meum negotium esset, hoc vel illo medio uterer: De priori præser-tim hic agitur. Ubi tria consideranda. I. Ipsa Inquisitio, qua cum ratiocinatione ea, per quæ ad finem nostrum pervenire possumus, indagamus, & postea de inquisitorum ad propositum maximâ congruentia, prudenti inter se collatione delibera-mus voluntatiq; ut ea appetat, sistimus, ut ita voluntatem antecedat, quod quia ipsa Consultatio præstat, satis liquet, illam essentialiter in intellectu residere, cuius hoc est Officium:

Est

Est ergo Consultatio actio intellectus elicita, quanquam ordinem aliquem habeat ad voluntatem, à qua ipse intellectus movetur, ut consultet. Illa autem inquisitio & quidem diligens, vel à nobis ipsis, vel ab aliis institui potest. A nobis ipsis quando res inquirenda vires ingenii & judii nostri non excedit vel excedere videtur: ab aliis nostri causa, quando negocium est tanti momenti, ut nobis solis dissidentes alios quoque ad discernendum adhibeamus. Aristot. 3. Ethic. Nicom. cap. 3. illi autem vocantur ab Aristotele Consiliarii, & necesse est ut sint. 1. *Viri boni*, ne nostra causa in se bona suspecta aliis reddatur. 2. *Prudentes*, qui in rebus dubiis, quid facto opus, sciunt. 3. *amici*, ut totò illorum consiliis fidere possimus. II. Consultationis Objectum, quod ferè cum Electionis Objecto coincidit, præterquam quod præelectio-
nis Objectum ob antegressam consultationem certum ali-
quo modo sit, consultationis verò adhuc incertum. In ge-
nere dicit Aristoteles, Objectum i. esse illud consultabile,
de quo mentis composvit non quivis vel stolidus, vel insa-
nus consultat, hoc est, ut communiter interpretes explicant.
Buridanus, Burlæus &c. Vir mente bene dispositus & usu-
rationis non destitutus, ut etiam illud patere potest ex præ-
ced. cap. 4. libr. 3. ad Nicom. 2. τὸ πρότερον. His vel indica-
tur Objectum primarium Consultationis, quæ in humanis a-
ctionibus maximè locum habet; Secundarium enim ejus
Objectum sunt pertinentia ad artes, ut explicat Piccolom. gra-
du 2. cap. 24. vel voce τὸν πρότερον τὰ ποιητὰ includuntur,
qualis hujus nominis acceptio Aristoteli usitata est. Vide
libr. 3. de anima. cap. 10. t. 49. In Specie & per ἀρχὴν 1. μὴ
πρότερον ut res aeternæ & necessariæ, naturales, qua tales abs-
que Circumstantiis consideratæ, quæ vel semper eodem mo-
do fiunt, vel non quidem eodem modo fiunt, attamen à
nobis impediri non possunt, Fortuitæ, & Præteritæ. 2. πρότε-
ρον, attamen vel certissima, ut de literis quomodo scriben-
dum sit, nemo dubitat: dicit Aristot. vel singularia in sensu

Incurrentia, vel *σύν ἐφ' οὐτῷ*, ut aliena & peregrina, quæ nihil ad nos, nec effici, aut nostrâ operâ meliora reddi possunt, quæ facere solent πολὺ περάγματες, ut administratio Imperii Turcici; nihil enim ex enumeratis ita se habet, ut prudenter quis de eo agere cogitet. Per Θέσιν Res quæ non semper eodem modo evenit, ad nos spectat, à nobis effici potest, simulque rationem medii induit: quò igitur res vel magis vel minus dubia, ita etiam vel magis vel minus consultamus, & hæc omnia ex superioribus clara sunt, tantum ad verba Aristotel. cap. 5. lib. 3. ad Nicom. addimus, quod deliberatio in Scientiis non ad ipsa Objecta, sed Objectorum usum vel methodum Scientiæ referenda sit. III. Consultationis modus: firmus fixusque debet esse Finis, ut Principium aliquod, & posteà inquisitio ipsorum mediorum ad hunc finem ducentium instituenda, usque ad ultimum medium: dein illa media assumenda, quæ potissima sunt; & ab ultimo in resolutione debet initium fieri in ipsa operazione, & maturè tunc facta opus est *πενδεν αὐταῖς αλλόγυρον*.

XV. Quartum est voluntas. Voluntas autem in Ethicis vel consideratur, ut est facultas & potentia volendi, & sic ad Objectum Ethicæ pertinet vel in quantum est actus aliquis secundus ipsius facultatis volendi, non quidem imperatus & mediatus, qui à voluntate mediante alia potentia, quæ ex imperio voluntatis adhuc actum se movit, proficiuntur, vel *directè* ut ambulatio vel *indirectè*, quando voluntas non est quidem Principium ejus actus, attamen agenti imputari potest, quod non impediverit: sic qui bona sua perdit, malè sibi voluisse dicitur; juxta quem actum voluntatem cogi posse conceditur, sed *elictus & immediatus*, qui immediatè ab ipsa voluntate producitur, ut ipsum velle, eligere, à Scaligero vocatur Volitio, secundum quam voluntas non potest cogi, & sic est Principium actionum humanarum & dicitur appetitio boni sive reverâ sive apparen- ter

ter talis cum ratione, licet Socratice tantum verum & Academici tantum apparet Bonum Voluntatis Objectum esse voluerint, quos Aristoteles refutat. 3. Ethic. c. 6. quia vero & fines & media dicuntur bona. lib. 1. M. M. cap. 2. utique voluntas & ad finem & ad media se extendit, magis tamen ad finem, quia media in respectu ad finem, suam obtinent bonitatem, igitur illud quod in mediis vult voluntas est finis: Actus autem ille, quo appetimus & finem & media, semper est virtualiter & implicite unus & idem, in quantum scilicet finis includit rationem, ob quam media etiam appetimus, licet non semper sit formaliter & explicitè. Voluntas vero duplice modo se prodit, vel quando ipsi aliquid ex voluntate agimus, vel quando aliorum actiones approbamus; & hoc ultimum quot modis fieri possit, ex his communibus versiculis liqueat:

*Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Hinc voluntarium recipit magis & minus, prout vel error vel perturbatio, vel propositum, idque vel saepius vel diu institutum, & postea instituendum adest vel non adest. Tandem voluntatem aliam faciunt completam, simplicem & efficacem, quando simpliciter & absolute quis quid vult; vel incompletam & complacentiae, (quæ velleitas vocatur) cum quædam conditionaliter cupimus, si fieri possint, ubi haec non illa potest esse rerum impossibilium.

XVI. Quintum Principium est Liberum Arbitrium, Graece ἀνεξότον dictum. Vox Latina à nonnullis ideo non admittitur, quia illi, qui libertatem in intellectu formaliter ponunt, id ex hac voce demonstrare volunt, cum arbitrium idem semper esse dicant quod Judicium; verum quia partim communis usus loquendi hos refutat, quod arbitrium non nunquam idem sit quod Electio, ut quando aliquid in nostro arbitrio esse dicitur, fatente ipso Beccano part. 2. Theol. Schol.

Schol. tom. 2. tract. 1. cap. 2. quest. 1. §. 4. partim etiam veterum explicatio, vid. Lombard. libr. 2. Sentent. dist. 24. lit. E. quando per Arbitrium Intellectus Officium in quantum ille ad Voluntatem presupponitur, & per liberum Voluntatis munus exprimunt, merito idem vocabulum retinemus. Græcam autem vocem cum B. Chemnitio & aliis concedimus nimis arrogantem esse, quippe quod nihil vel parum intersit inter eam & αὐλοδέσποτον, quomodo tamen is tantum vocatur propriè, qui nullius imperio subest, & cujus actiones à nemine impediri possunt. Libertas autem potissimum triplex datur 1. Libertas à servitute, miseria, pena &c. 2. à Coactione, quæ ex interno Principio agentis aut patientis oritur, quando quis sponte agit aut patitur. 3. à Necessitate, quæ consistit in indeterminatione ad unum, dum non necessariò, sed indifferenter se quis habet ad utramq; partem contradictionis. Prima ut & secunda acceptio. Vociis Libertatis non est hujus loci, quippe is qui ex libero arbitrio agit, non statim liber est à pœna & culpa, sed eò magis iisdem subjectus, quò liberius nonnunquam egit: neque sponte agens statim liberè agit, alias enim omnes res & animatæ & inanimatæ etiam liberè agerent: Sed tertia tantum, ex qua posito Objecto & omnibus cæteris requisitis, iisque nihil mutatis homo potest velle & non velle, agere & non agere. Hæc jam ita describitur, quod sit facultas activa voluntatis humanae homini indiferentiam largiens ad actiones has merè humanas peragendas vel non peragendas. Ubi extra dubitationis aleam ponimus, quod talis Libertas detur in rebus actioni nostræ subjectis, ut loquitur Augustana Confessio quippe tota die experimur, nos posse hoc agere & non agere, ut nobis placuerit. Proinde quoque ipsa Natura facultate consultandi nos instruxit, quæ tantum liberas & in arbitrio nostro positas res respicit, quæ alias frustrè esset: imò rem post consultationem ut optimam dijudicatam eligere aut rejicere possumus, præfertim si in utramque partem sit probabilis. Est autem Li- berum

berum arbitrium non *actus* (*ἐνέργεια*) quippe qui transit, & nobis non inest, sed à nobis producitur. Libertas autem est in nobis & permanet, quando nihil agimus; quin & actuum aliorum Principium est, ut ipsum non possit esse actus. Neque verò est *habitus*, cùm ut dictum Naturā insit; sed est *potentia* & quidem *activa*, quippe per hanc seipsum Voluntas ad unum oppositorum determinat, ipsum quoque intellectum ad cognoscendum movet, quod sanè est agere & non pati: additur autem *Subjectum immediatum*, cui inhæret, quod non anima vegetans, cujus actiones sunt semper naturales, & necessariæ, necessitate physicâ, licet applicatio agentis ad patiens etiam in his quæ ad hanc animæ partem pertinent, possit esse libera, ut cibum parare & corpori inge- rere homo liberè potest, ipsum autem actum animæ vegetan- tis in cibum ingestum moderari non potest, sed ille manet naturalis; nec anima sentiens, quæ quoad sensus externos & sensum communem positis omnibus requisitis necessarias habet operationes, quoad sensus internos verò, ut Phantasi- am appetitum sensitivum & facultatem locomotivam non ex se, sed participativè libera dicitur, ratione actuum non elicitorum sed imperatorum, scilicet à libera facultate; unde illa Libertas, quâ nonnunquam in homine Phantasia, sive rei imaginatio, appetitio sensitiva, & Locomotiva libe- ræ dicuntur, non in ipsis est, sed in eà parte, cui illæ obe- diunt, & cujus imperata actiones exequuntur. Nec intel- ligens & per se rationalis. Intellectum enim licet radicaliter li- berum vocent Thomistæ, vel licet radix libertatis in intelle- ctu sit, in quantum scilicet nulla libera rei electio fieri potest, nisi cognitio & comparatio inter se rerum appetendarum, quæ provenit tantum ab intellectu, præcesserit vide Aristotel. libr. 12. Metaph. cap. 7. cujus respectu tamen ipse intellectus conditio sine qua non rectius ab Henrico & Scoto appellatur: ipsa tamen libertas non à coactione, quam facile ipsi intel- lectui quoque concedimus, sed à necessitate præcisè & forma-

Liter in ipso intellectu non est, quod exinde probatur; quia nec libertas contradictionis nec contrarietatis, quæ quid sit, jam jam dicetur, ipsi intellectui inest. Non prior libertas contradictionis vel quoad exercitium. Omnis enim potentia formaliter libera, debet se liberâ appetitione ipsius actus ex se elicita terminare ad agendum non naturali impetu fieri. Atque intellectus non determinat se ad agendum liberâ appetitione ipsius actus ex se elicita, sed tantum naturali impetu fertur. **E. Major** ex se vera est; maximè enim libera appetitio ipsius actus, quam ex se elicit, requiritur ad potentiam formaliter liberam. **Minor** probatur quoad prius quia intellectus non potest ex se elicere aliquam appetitionem, cùm illa tantum sit facultatis appetitivæ, non autem intellectus. Dicimus notanter ex se elicere, siquidem actus ipsius Intellectus etiam voluntarii sunt, sed imperati, in quantum à voluntate, ut libera facultate, ipsi intellectui imperantur, & sic voluntatis libertatem probant, quod experientia testatur: à voluntate enim provenire sentimus, quando hoc vel illud cognoscimus aut non cognoscimus: quoad posterius, quia non minus potest intellectus suum Objectum positis requisitis cognoscere, quam oculus in media luce suum Objectum videre ex naturali inclinatione. **Nec posterior Libertas scilicet contrarietatis vel quoad specificationem actus, quod ita colligitur:** Quicquid non potest se ipsum determinare ad assensum vel dissensum, sed ab alio determinationem expectat, illud non est formaliter liberum libertate contrarietatis. Atqui de intellectu verum prius. Ergo & posterius **Major** iterum luce meridiana clarior. **Minor** probatur, quia intellectus non quidem quoad Objectum suum evidens & perspicuum, (hoc enim si verum, non potest non eidem assentiri, si falsum necessariò ab eo dissentit, evidentiâ enim veritatis & falsitatis ad assensum & dissensum necessariò movetur) sed partim quoad obscurum partim quoad probabile objectum in alterutram partem sese determinare

minare nequit: sicut enim ob insufficientem repræsentationem nec assensum præbere, nec dissensum detrahere potest; ita ob æqualem sui ab utraque parte motionem, ubi sic una motio alteram impedit, ut neutra ad determinacionem intellectum allicere possit, nec assentiri, nec ab eo dissentire potest, nisi voluntas ipsi vel assensum vel dissensum impere. Unde sequitur, quod intellectus formaliter liber non sit. Liber E. tantum est radicaliter, ut loquuntur, licet non satis commodè, & indifferens non in se, sed cùm Objectum à se propositum indifferenter eligi posse offendat. Et sic porrò determinationem ultimam ipsius intellectus practici nullam facultati in se liberæ scilicet voluntati afferre posse necessitatem, cum ille ab hac determinetur, liquido patet. Voluntas E. quæ tantum reliqua, necesse est, ut sit Subjectum ipsius liberi Arbitrii & formaliter libera. Addimus verò in definitione vocem *humanae* quoniam tantum de illa Ethica agit. Ipsa verò formalis ratio liberi arbitrii insinuat vocabulo Indifferentiae, hæc autem dupliciter se habet, vel est indifferentia contradictionis, seu quoad exercitium actus, quando uno Objecto posito illud eligere vel non eligere possumus, quæ est contradiccio vel indifferentia contrarietatis, seu quoad specificationem actus, dum ex pluribus, non semper in se contrariis, unum velle, alterum nolle, unum eligere, alterum respuere possumus, velle autem & nolle eligere & respuere sese contrariè habent. Objectum ipsius liberi Arbitrii sunt actiones merè humanae, quia de libertate, quoad actiones spirituales Gratiæ & Gloriæ Ethicus nihil novit, quas Theologi proponunt, & in altera demum vita perfectè addiscemus.

x3



F I N I S.

Ad
Dn. Respondentem.

Virtutum veros ortus ostendere res est
Ingenij, & multum commoditatis habet.
Possimus hinc hominum recte cognoscere facta,
Quae vi sint, aut quae sponte peracta suâ
Hac de re docte dum differis optime amice,
Quanta sit ingenij vis tibi ritè doces.
Ergo applando tibi, numen venerorg₃ supremum,
det te mox clarâ sede locare velit.

Busso ab Asseburg.



05 A 753



WMA

Farbkarte #13

B.I.G.
Black
3/Color
White
Red
Magenta
Yellow
Green
Cyan
Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

I. N. J.
DISPUTATIONUM ETHICARUM
QUARTA
De
**PRINCIPIIS ACTIONUM
HUMANARUM**

QVAM
DEO TER. OPT. TER. MAX. BENEDICENTE

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
Publicæ disquisitioni subjiciunt

PRÆSES.

M. CHRISTIANUS BILEFELD,

Lubec. Facult. Philos. Adjunctus.

&
RESPONDENS

PAULUS Winfler,

Lipsiensis.

In Auditorio Minori

Ad diem 7^o Februarii.

WITTEBERGÆ

ē Chalcographéo JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
ANNO Epochæ Christianæ M DC XLIX.

